299

50.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA, *

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-primâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LVIII.

M. JOANNE-JACOBO MESSENCE, Doctore Medico, Præside.

An Caries, in extremitatibus ossium, vix sanabilis?

I.


RO diversâ ætate, diversa ossium durities. Ossa tenelli homuncionis in carcere materno inclusi, vix ceræ mollitiem habent; paulatim & temporis serie, dum crescit infans, crescunt & fibræ osseæ, & vires eundo acquirunt; ita ut in puero, qui scit voces reddere, & certo pede signare humum, jam aliquatenùs indurescant; at in ætate provectiore

A

* *Auctore M. JOANNE-FRANÇISCO ISEZ, anno 1748.*

(*a*) Fernelii descript. corp. hum. cap. 2.

possunt considerari, (*a*) *tanquam propugnacula adversùs omnes impetus, stabilimen atque robur corpori sustinendo, haud secùs atque basis & columna ædibus subjecta.* Ossium substantia triplex, & à variâ figurâ varia sortitur nomina; dura nihil aliud est, quàm coadunatio fibrarum ossearum, quæ sunt juxtà se invicem positæ, & quæ immediatè sese tangunt; reticularis conflatur ex iisdem fibris sese in omni sensu decussantibus; & cellularis est eadem substantia in cellulas innumerabiles distincta: hæc reperitur tantùm in ossium extremitatibus, sed harum cellularum parietes ita sunt à naturâ dispositi, ut ad ultimam lamellam, quâ obducuntur ossium extrema, rectâ pertingentes, hujus fiant quasi totidem adminicula. Hoc mirabile artificium structuræ internæ ossium nitidissimè apparet perpendenti os femoris serrâ cum arte desectum.

II.

(*a*) Winslow, Traité des Os frais. n°. 2.

EXPANSIONE membranosâ, sensu exquisitissimi donatâ, periosteo dictâ, involvuntur ossa. Hæc sustinet rete admirabile vasorum capillarium, quibus mediantibus, sanguis & succus ad ossa nutrienda advehitur: in ossium cavitate reconditur substantia pinguis & oleosa, medullæ nomine donata; (*a*) est massa quæ componitur ex infinitis vesiculis sivè cellulis membranosis, quæ continent materiam oleosam, unctuosam, sapore dulcissimam; & hæ vesiculæ sunt majores circà juncturas: præterea extremitates ossium perforantur pluribus poris medullosum succum in cellulas eructantibus; vasa tum sanguinea, tum nervosa sese comitantia internè penetrant ossa. Ex hâc ossium structurâ abundè liquet, quantis obnoxia malis evadant. Si enim tumor ipsis accidit, Exostosis; si vi disrumpuntur, Fractura; si ossa incurvantur, & ipsorum extrema ampliantur, ut in infantibus, Rachitis est; si soliditatem firmitatemque suam deperdunt, Mollities audit: sunt etenim multæ causæ, quæ valent mutare indolem liquidi ossa permeantis; si non gaudeat tenuitate, mobilitate necessariâ, ut hæcce vascula minima lustrare possit, brevì stagnabit, à stagnatione fiet acris, ab acredine destructio fibrarum, & proindè caries, quæ mala, in parte ossis solidiore; in reticulari, pejor; in extremitatibus, pessima.

III.

(*a*) Boerh. de morbis Ossium.

CARIES morbus est, quo ossium lamellæ squamatìm eroduntur; attendendo ad præcipua cariei phænomena, veram cariei ideam habebis. Os, quod caries aggreditur, fit pingue, colorem suum mutat, ex subcæruleo candido in flavum, huic flavedini succedit nigrities; si specillo tetigeris, asperum, spongiosum, & molle evadit, foveæ profundæ excavantur in suis cellulis, (*a*) *fœtorem singularem*

rancidi lardi exhalat, caro ſuperincumbens, fungoſa, mollis, flaccida, tumens, & ad leviſſimum tactum cruorem tetrâ ſanie imbutum effundens: ſi oleum medulloſum in ſuis veſiculis ſtagnet, brevì fiet flavum, & ab hâcce causâ repetenda oſſium flavedo; cuncta enim pinguia temporis lapſu flaveſcunt: aſt ſi ille ſuccus oleoſus magis evolutus, ſulcos & foveas imprimat in parte oſſium ſolidiore, quantam ſtragem producet in oſſium extremitatibus, quæ ſunt totæ ferè celluloſæ, magnâ olei quantitate turgent, undè faciliùs ſerpit vitium.

IV.

ACCUSENT alii qualitatem ſcorbuticam, alii ſcrophuloſam, alii rachiticam, alii luem veneream, ſingula propriis & remediis convenientibus debellanda: hìc ſufficiat tantùm attendere, medullam à ſtagnatione corruptionem acquirere; oſſis contuſio, vitium perioſtei, & quilibet liquor acer oſſis partes tangens, corruptionem, & proindè cariem poterunt producere: inter morbos, qui manum requirant, caries annumeratur. Quando hic affectus ſubſtantiam oſſium duram aggreditur, lentè, ac teſtudineo quaſi paſſu progreditur, & hâc de causâ facilè curatur; & ille omne tulit punctum, & celerem ſæpiùs ſanationem obtinebit, qui inquinatas oſſium particulas à ſanis ſeparabit; & qui ſic ad opus ſe accinget: os carioſum priùs nudat, deìn, ruginæ ope, os ipſum abradit, donec ex nigro album appareat, & priſtinum ſuum colorem recuperet: quoad medicamenta externa, utendum iis, quæ uſu quotidiano confirmantur: ſed caries, quæ extremitates oſſium inficit, difficillimè poteſt deteri, ut potè quòd in extremitatibus cellulæ ſint, quaſi confertìm aggregatæ. At, inquies, in hâc ſpecie cariei nonne ignis, ceu ferrum candens debeat applicari, ut remedium efficax, & quod omne carioſum deſtruit? Hâc ſe methodo jactitent fautores! Abſit, ut tale remedium adhibeas in humanum prorsùs. Quantâ etenim cum cautelâ Chirurgus admoveat ignem, ignis partes ſanas offendet, undè brevì partium diſtractio, laceratio; & exindè neceſſariò ſequitur phlogoſis, inflammatio, dolores atrociſſimi, & convulſiones: prætereà oleum, quod leviſſimo calore fit rancidum, brevì ignis ope deterius fiet; hinc novus malorum fomes: quin imò febris lenta, delirium, maraſmus ſunt totidem ſymptomata ab ignis applicatione metuenda.

V.

PROGRESSUS cariei in oſſium extremitatibus, quem partium ſtructura evidentiſſimè demonſtrat, quotidianâ confirmatur experientiâ. Caries enim brevì deſtruit extremitates oſſium, & portiones

integras apophisium tum tibiæ, tùm femoris, tùm humeri secum rapit, & hæc vix ullâ arte sanabilis. Frustrà sæpius adhibentur ruginæ, & terebræ perforantes, frustrà uteris spiritu vini simplici, tincturis myrrhæ, aloës, & aliorum aromaticorum, quæ sæpè arcere valent putredinem, & corruptionem olei & succi medullaris, frustrà manu habili oleis guaiaci, cariophyllorum, & camphoræ os cariosum inungis, dum sanationem expectas, infelix oleum & operam perdis; recrudescunt citò omnia rancidi olei accidentia, & adest quasi *pertinax rebellio* contrà optima medicamenta. Observandum est insuper, quòd extremitates ossium articulationibus, ut plurimùm, inserviant: quâ igitur arte sperari poterit sanatio cariei, quæ læso articulo, liquori, quo perpetuò madent ossium extrema, in ipsam ossis exesi substantiam ingressum patefecerit? His tot malis obviam ire cupientes Medici, & ad sanandos morbos viam breviorem seligentes, tutiorem methodum proponunt. Detectâ enim carie, ne teras tempus in applicationibus remediorum, quæ dum inani spe ludunt ægrotantes, artem infamant, & operationem periculosiorem reddunt: sed ad metam propera; ægro remediis convenientibus præparato amputationem, cautionibus adhibitis, quas ars cum successu quotidiano confirmata tibi dictitavit, perfice. Ex his liceat concludere;

Ergò Caries, in extremitatibus ossium, vix sanabilis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Anna Lapirotte, Censor Regius.	*M. Alexander-Dionysius Dienert, Bibliothecæ Facultatis Præfectus designatus.*	*M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Regi à sanctioribus Consiliis, Reginæ Medicus Primarius, necnon Serenissimæ Delphinæ ordinarius.*
M. Ludovicus-Petrus-Felix-Renatus le Thieullier, Regis Consiliarius, & in Majori Consilio, necnon in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.	*M. Carolus Geille de St. Leger.*	*M. Emmanuel-Mauritius du Verney.*
M. Petrus-Ludovicus-Maria Maloet, Scholarum Professor designatus.	*M. Jacobus-Ludovicus Alleaume.*	*M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæ Societatis Berolinensis Socius, & in Horto Regio Chimiæ Professor.*

Proponebat Parisiis NATALIS-NICOLAUS MALLET, Carnuteus, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1758, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typogr. 1758.